


P V I S



1 6 0 5

4  
1600







EPITHALAMIA

In Honorem Nuptiarum

**VIRI CLARIS-**  
**SIMI, VIRTUTE ET DO-**  
**CTRINA EXCELLENTISSIMI Dn.**  
**STEPHANI MARCELLI AUSTRIACI,**  
 Medicinæ Doctoris, & Physici  
 Brandenburgensium ordinarij,  
 SPONSI

&

*Lectissimæ ac pudicissimæ virginis*

**CATHARINÆ, REVEREN-**  
**DI ET DOCTISS. VIRI Dn. M. GEOR-**  
**GII FRANCKENBERGERI quondam Tor-**  
 gensis ad Spir.S. Pastoris pie ibidem defun-  
 cti, relictæ filix,  
 SPONSÆ

*Congratulationis & amicitix ergo scripta*  
*ad diem 18. Maji.*


VVITTEBERGAE

Typis M. Iohannis Cratonis. An. 1601.

JK







80







*Ad nobilissimum virum*

Dn. BERNHARDVM DE SCHV-  
LENBURG LEVINI, P. M. filium, fau-  
torem honorandum.

**N**OBILIS insigni proavorū stemmate cretus,  
Inter Brennonicos, gloria prima, viros.  
In te morigeris & in ōnes sanguine natos  
Æde tuâ, officijs invigilabo meis.

Me si suscipies gremioq; tuoq; favore  
Sat mihi, de reliquis viderit ipse DEUS.  
Auguror, ignotum forsan non esse, puella  
Quòd mihi Leucoreo sit repetenda solo.  
Quæ mihi se comitem vitæ, sociamq; dicavit  
Quo me cunque DEUS vel bona fata trahunt.  
In Geminos igitur cum sol conscenderit, atque  
Maij splendescet Lux duodena polo.  
Hinc ego constitui missis exire quadrigis,  
Nec non hospitibus quæque parare meis.  
Altius at Phœbi sublato corpore, septem  
Scilicet in Geminis cum tenet ille gradus,  
Meq; meamque DEI Sacrato in limite sistam,  
Hactenus & subdam libera colla jugo.  
At quoniam longè mea pompa celebrior esset,  
Te si tam celebrem posset habere virum.  
Tuq; tuiq; mihi hoc munus præstare benignum  
Ac ibi solennem condecorate diem.

A 2

Nec



Nec minus Autorem pacti Thalamiq; jugalis  
Nostri devota sollicitate prece.  
Vergat ut in laudem divini numinis ista.  
Pactio, & æternum grata sit ante DEUM.  
Si te præsentem nodosa Podagra recusat,  
Abstrahit & longè dissita terra tuos,  
Nomine mitte tuo, quem dignum noveris, ut te  
Atque tuos præsens indigitare queat.  
Hunc ego, quo possum merito dignabor honore,  
Hospitio, victû; poclaq; plena dabo.  
Splendida nî fuerint solito convivia more,  
Forfan & hospitij non satis apta domus:  
Illius veniam spero me posse mereri,  
Cum cernet, quæ sit forsq; statusq; meus.  
Non dubito, mea quin, facio, quæ vota precesq;  
Nunc in te promptum sint habitura locum.  
Teq; tuosq; sacri tutelæ numinis omnes  
Commisfos, nullâ sorte premente, volo.  
Et peto, succincti quia sunt, evolvito versus,  
Ad te quos verus scribere jussit honor;  
Heïc vbi metropolis Brennonum structa, leviq;  
Marchiacum fluxu præterit Havla solum.

*Tua Nobilitati addit:*

*Steph. Marcellus D.*

*Littera porrectum per pontem excurre medentis  
Ad tectum apperiet janua pulsa citò.*

*MARS*



MARCELLO, rubro qui clarus fronte Galero,  
Morbo cui curæ corpora pressa gravi,  
A me fac dicas non ullâ ambage salutem,  
Promptus aratum omne demetet ore latus.

A L I V D.

Pergamei Suboles, non infima cura, Galeni;  
Phæbei et studiis æmula sedulitas;  
Brennona quem sanæ nocturno olcoq; diurno  
Doctrinæ vigilem clarat honore pari;  
Littera pulsata penetravit ad intima sedis;  
Et propria innotuit mox referata manu:  
Scilicet ad pactum revocat te Leucoris ora;  
Atq; moram ignavam rumpere suadet Amor:  
Quem tacitè abstrusum defluxi temporis ætas  
Vidit; Lux adytis indicat una sacris.  
Instruis & nupto convivium splendida ritû;  
Testentur thalami quæ geniale decus:  
Votaq; successû tædæ deprecis amicos;  
Lætis lætantes & socios dapibus.  
Me quoque devoti quò sim pars ordinis; amplæ  
Atq; hospes mensæ metrica charta petit.  
Exigis & comitem, socia & quos vita marito  
Nexu deduxit hunc decorare torum.  
Exhibiti redeat non tanti gratia honoris?  
Et favor affectus verus in emeritum?  
Nec quicquam faceret tanta irrita vota, nec altæ,  
Quin conviva irem, tædia multa, viæ;  
Aspera nec rabidi violento turbine flabra  
Austri; nec facies nubila & uda poli;

A 3

Robo-



Roboris at nimium tibi cum iactura prioris  
Conscia, nec virtus in pedibus vigeat ;  
Ipsaq; discordes insultus, crura, rotarum  
Et conquassantes non benè ferre vices  
Edoceat stimulis dolor altè urentibus instans ;  
Ipsis cum Baccho & non leve discidium ;  
Et cum queis ipsis malè convenit, ægra solutæ  
Noxia quæ vitæ suppeditare sciunt ;  
Non spes destituit, veniam te spontè daturum,  
In nocuas tædâ non agitante vices.  
Absens præsentem susceptum pectore votum  
Pro faustâ sacri sorte tori, exhibeat.  
Ordinis & FUNDUS socialis munere largo  
Auctet ut ardoris TEQ; TUA MQ; sui.  
Et quos optato conjunxit lumine tæda  
Uret perpetuum mutua flamma duos,  
Adsit & ad vitam degendam victus, amictus,  
Et queis prætereâ vita carere nequit.  
Exulet & sortis perverso flamine ventus,  
Æstûs nec justî dulce reprendat iter :  
Quod si non semper spiraverit aura secunda,  
Impete sed turbans dulce sodalitium :  
Dulcis amarities nam caris mixta maritis,  
IOVA autore boni, commoda magna genit :  
Offirmes animum ; nec labere devius almo  
De cursu ; sit spes anchora firma malis.  
Non migres sterili fatales orbis ad urnas  
Lectò ; multorum canus at ante pater.  
Hæc voveo. Faxit semper genialis amoris  
SUBSCRIPTOR summus ut rata vota sient.

Bernhardus de Schulen  
burg Levini P. M. filius.



A L I U D.

**T**ristia miratus toties suspiria cordis,  
 Pallorem toties oris, amice, tui;  
 Sic mecum: STEPHANUS cur pallet? corporis aeger  
 An status est? animus vel grave vulnus habet?  
 Cur hic, Apollinea tam clarus in arte, sibi ipse  
 Quam confert aliis, non meditatur opem?  
 Miranti respondit Amor: Panacea dolorem  
 Non minuet: no vit vulneris autor, opem.  
 Vulneris autor ego, poterit mea dextra juvare:  
 Quæ læsere animum, tela levare queunt.  
 Cedat iò Pæon, cedat quoque Phœbus Amori:  
 Me contra cujus prævaluere manus?  
 Sed ne dispereat, duce me feret unio tristi  
 Auxilium cordi; gaudia concha dabit.  
 Unio fœminei sexûs, speciosa nitore,  
 Aemula concha domus, æmula concha poli.  
 Ardet & hæc, relevare sitim desiderat, ô quam  
 Tu, MARCELLE, illi dulcis, & illa tibi!  
 Vos conjungat Hymen: ita vestris grata redibit  
 Temperies animis: par dabit ardor opem.  
 Quin tibi nectar erit, MARCELLE, hæc unio: & illa  
 Ambrosiâ, gemmas, exaturata feret.  
 Nobilis est Hygiea, potens avertere morbos  
 Corporis: ad mentis vulnera præstat AMOR.

Tobias Tandlerus.

Mcd. D.



## ALIVE.

**L** Eucoris vrbs coniuncta velut Brennonis ad arcem  
 Claruit officio, religione, fide,  
 Dissidium nec utriq; fuit sed amabile foedus;  
 Finitimis decus est sacra coire locis:  
 Pacis honos viguit sparsaq; fideliter artes  
 Luce redundantes exhibuere faces:  
 Sic nova Brennonis sese fors obtulit vrbi,  
 Ne vetus ille novo degener esset amor.  
 Transitus est factus phoebo ducente salubris,  
 Ut sit amœnus aquis Albis, Havelus aquis.  
 Haufisti, MARCELLE, decus famamq; tulisti  
 Albiaci ludi, patria Havelus erit.  
 Non seiuncta fuit tua mens à compare lecti  
 Quam sociam vitæ Fata dedere tibi.  
 Non sua rura sequi qua sedes nobilis Oci  
 Sed gressus alio limite ferre iuvat.  
 Foederis id ratio deposcit & ordo iugalis  
 Linquere tecta domus patris, adire parem.  
 Vis ea casta subest animis & fixa moratur  
 Quis radix pudor est & pietatis amor,  
 Exhibet ausa fides, mentem favor, usus amorem,  
 Vita bonum, morum cura modesta decus.  
 Auguror inde novi quod sint rata foedera pacti,  
 Nam quod disposuit Numen adimplet opus.  
 Sunt hominum pia deliciae connubia vitæ,  
 Hinc sibi subsidium foemina masque trahunt.  
 Collige non medicas suadente Machaone fruges,  
 Sola pudoris amans virgo medela venit.  
 Ulterius vector à curis pertexere versus,  
 Ergo brevi repeto quod volo Sponse prece.

Casta



Castra velut mens est, sic castam amplectere costam,  
Candida pax vestri sit velut ala thori.  
Vna Charis lucem gratam ferat, altera prolem,  
Tertia coniugium suave manere velit.

M. Iohannes Lampertus,  
veteris Brandenburgensium urbis  
Consul & Scabinus.

ALIV D.

Φέρτερος, ἢ δὲ βροτῶν τελέθει ἀνιάξιος ἄλλων,  
Ἰδμοσιῶν τεχνῆς κλειδὸς ἰατρὸς ἀνὴρ.  
Τόνδε γραφὴ ἱερῇ μεγάλως ἡμᾶσθα ἀνώγει,  
Εἴνεκα κινδύων ἡμετέροιο βίης.  
Ἐν γὰρ ταῖς νέσοις ζῶμεν, μέσῳ τῷ ὀλέθρῳ,  
Πανταδοπῶν ὀδυῶν πλεῖστος ὁ κόσμος ἔφθ.  
Ὅστις γὰρ ἀθελεῖ ἔργατε λόγατε ἰατρὸν,  
Αφραδέως ἀθετεῖ παμμεδέοντα θεόν.  
Καὶ ἐξεδενέων σωτηρίαν ἀφρονι θυμῷ,  
Ἐς κρυερὸν θανάτῳ βάλλει ἑαυτὸν ἄχος.  
Χαῖρε μοι ὦ Μάρκελλε, θεῷ σὺ μεγίστῳ ὑπάρχεις,  
Καὶ πελὺ ἡμετέροις τοῖς πολίταισι φίλος.  
Ἔσσι γὰρ ὄτρηρὸς πατὴρ Φοιβοῖο ὑπεργός,  
Καὶ μέγα Πιερίδων κῦδος εὐσεφάνων.  
Ἄνθεα καὶ ἀνθῶν διωαμεῖς, ῥιζῶντε νοήται.  
Ἦδὲ φυτῶν, διη ὅσα ἀρχαὶ τρέφει.  
Χρήσιμα ἔκ τῶν ἀρρώστοις φάρμακα τεύχεις,  
Ἐξελάων χαλεπὰς σαρκοβόρατε νόσους.  
Εἴνεκα γὰρ ἀρετῆς, σοφίης σπεδῆσαι ἀγαθῆς,  
Ἄθλον σὺ ἡμῇ ἀξίος ἔσσι λαβεῖν.  
Ἀλλὰ ἔφης: τίς ἐμοὶ ἄλοχον περικαλλέα δώσε,  
Χρήσιμον ἐν λέκτρῳ μοι ἄκος ἐσομένην;

B

Ἄνθεα

sta





Ἄνθεα μὲν νοσεροῖς ἰκανώτατα, δ᾽ ἄλλον ὑπάρχειν,  
Μεσάων, κῦδος μὴ ἐλάχιστον ἔφυ.  
Πλῆτος καὶ ἱμαὶ θνητοῖς εὐχρηστα πέφανται,  
Ἀλλὰ γῆν πάντων κάλλιμόν ἐστι γέρας.  
Ἐἴ ποτε ἐς θάλαμον κεδνὴ μοὶ παρθένος ἦξει,  
σηθεῖν ἴξονται χάρματα πολλὰ ἐμοῖς.  
Μὴ τρυχᾷ ἐνὶ φρεσὶν ἀγαν, θεὸς αἰθέρι ναίων,  
Ἐκλυετῆς φωνῆς φίλτατε γάμβρε τέης.  
Ἡνίδε ἐκ κραδίης, καὶ ὄλα ἦν ἤνυχο θυμῷ,  
Ἀγχοῖναις κέρην ἀμφοτέρησι κραδίεις.  
Ταύτην εὐσεβέως φίλοι ἐθρέψαντο τοκῆες,  
Ἐν τῇ παιδείᾳ νεθεύσατε θεῷ.  
Νῦν μάλα ἀγνὸν ἔχει, καλὰ εἶδος ὑπάρχει ἀρίστη.  
Ἥθια μελιχίη, ἱμερόεσσα λόγους.  
ἢ μηδὲν πρᾶγμα κρείττον δοκεῖ εἰμμεναι ἄλλο,  
Ἐράνιον σεμνῶς ἢ τὸν ἀνακτῆρα σέβειν.  
Καὶ τὴν σωφροσύνην φιλέειν, τε καὶ αἰδέσθην ἀγνήν.  
Ἄντῃ δὲ λαγνείην, μαχλοσύνην τε φυγεῖν.  
Τοίην τῷ δὲ χρόνῳ εὐρεῖν χαλεπωτάτον ἐστὶ,  
Ἐν τῷ παρθενικῶν θηλυτέρων τε χορῶ.  
Μήποτε γὰρ ἀέκητι θεῷ καθαρῖνα ἐκλήθη,  
Χρῆ καθαρὴν νύμφην ἔνομα τοῖον ἔχειν.  
λάμβανε νυῦ καὶ σέργε τὴν Μάρκελλε ἀποιῖν,  
Τῆσδε καὶ αἰδίου γνῶθι δοτῆρα θεῶν.  
Χρήματα πολλὰ εἰς τέκνοις λείπεται τοκῆες,  
Αἰδοίη θεόθεν παρθενικῇ δίδοται.  
Ταῦτα ἀπαντὰ τεῷ πυκινῶς ἐνικάτθεο θυμῷ,  
Ὀλβιον ἀτρεκέως καὶ σε νόησον ἔμην  
Ὅς λάχε εὐσεβέως, κεδνῆς πισῆσθε σωεύνε,  
ἔτος ἀνὴρ τέττω ἐν βίῳ εὐτυχέει.

Casparus Prætorius Senator  
& Scabinus in veteri Brande-  
burgensium Civitate.



A L I U D.

**H** Eus, Marcelle, decus dea Minerva,  
 Smaragdus Podaleirij cathedra,  
 Machaon Celebris Sacri Capitli,  
 Brennonis veteris novæq; Cura.  
 Phœbi docta propago Palladosq;  
 Gallinæ meritò mihi vocandus  
 Albæ filius es; nimis beatum  
 Fortuna tenerò favore te ipsum  
 Excelsâ video sedere sellâ,  
 Ditatumq; bonis, tuâ, tuòq;  
 Mente, corpore, splendidis. Apollo  
 Tuæ mentis acumen eminentis  
 Demirans statuit Novem dearum  
 Dùm suffragia colligit, coronam,  
 Mox per Pallada nunciam dearum  
 Doctoris Medicam tibi perito.  
 In te dùm Clarius suum coronat  
 Phœbus: ecce Venus suum quod in te  
 Collatum videt, insolente pompâ  
 Coronare studet, pari favore.  
 Vita florida stat tibi virili  
 Gradû cû gravitate (nonne rarum est?)  
 Humanâ; speciosiore es ore;  
 Filò corpore; sacctus atq; tectus  
 Membris omnibus in vigore summò.  
 Quid? instar tenera rosæ virescis.  
 Sed quid Cypris agit, quid ornat in te:  
 Querit sollicitè tibi puellam  
 Orâ Saxonis, Austrijs Dianis  
 Neglectis. (habeant sibi Barones  
 Cùm quæis ingeniosè amore ludant.)  
 Ecclè, credito, bellulam puellam:  
 Cujus bella labella purpurascunt:  
 In cujus tenerò relucet ore  
 Triga gemmea triplicum Sororum.

Hanc quartam Charites petunt sororem:  
 Alteram Venerem Venusq; dicit:  
 Huic, cum Pallade Cypris atque Iuno  
 Offerat Paris ut jubent, decora,  
 Pomum (jureq;) judicem decòris.  
 Tucundis radijs micant ocelli,  
 Qui duces in amore nunc fuere:  
 Sedes, marmore purius, pudoris:  
 Genæ sanguine lacte purpurascunt  
 Tinctæ: porticus oris arte mirâ  
 In rimam coit, & fat-hiscit arte:  
 Volat Casarics relaxa collò;  
 Suprà vernat odore casta Laurus:  
 Eburnasq; manûs graves lapillis  
 Habet Nei-ligenis, coruscò & aurò:  
 Colla coralij amœna cincta:  
 Binos monticulos habet locatos  
 Summò pectore; tu heic quiete lassus:  
 Plumâ mollior: anseris medullâ  
 Cutis savior est: quid aïdo? pulcra est  
 Pulcri fabrica corporis per omne.  
 Talis anne placet tibi puella?  
 Dignum dicis operculum patellâ.  
 Tali dignus eras Eques Caballò.  
 Magnis magna placent, decent virosq;  
 Quin ergò expedias feram, tibi quam  
 Castitas, Amor, & Fides catelli,  
 Venatore D E O in plagas fugarunt  
 Connubi. sonat as in ade sacrâ!  
 Tempus est propera, jugalis arrha  
 Sponsæ, Sponse, tuæ dato sigillum:  
 Votis, Thuri-cremis focis. Ter-unum  
 ovam deveneramini, deinde  
 Solemni ite domum, pÿ ite, pompâ!  
 Dapes hospita mensa nunc coronat;



Ceres dona tulit, tulitq; Bacchus.  
 Io! Io! Io! Genio frui licebit.  
 Ast st! sponse, sat est: anhelata sponsa  
 In aurem exonerare vult, tacete!  
 Ausculta quadri-litterum istud, u r o r!  
 Oscillum insere, Turturille, nostro:  
 Mi Passercule, mi lepusculille,  
 Da mi millia savationum!  
 Da mi millia lingulationum!  
 Da mi millia morsuncularum!  
 Da mi millia pressuncularum!  
 Da mi millia murmurationum!  
 Supplantat mihi lingulam roganti  
 Pudor, purpurat ora flamma amoris,  
 Conjux, Hinnule, saviium tibi do!  
 Balteum quoq; amoris en jugalis,  
 Virginale decus meam corollam;  
 Flore virgineo mihi virentem.  
 An majora cupis? capis: cedo? me  
 Totam do tibi daq; tu mihi te:  
 Sis fraterculus, & meus columbus:  
 Sum sororcula, sum columba vestra:  
 Sis hadillus, ego tibi capella  
 Heu! mox rumpe moras pari furore,  
 Et occurre tue pari favore  
 Sponse, Sponse, suum suis ocellis  
 Limis adspicit en amore victa!  
 Extra gestibus innuit quod intra  
 Annuit fieri sibi ex amore.  
 O caput roseum tue puella!  
 Iucundam o faciem tue puella!  
 O mores gravitate temperatos!  
 Quicquid conspicio in tua puella;

A plantâ pedis ad caput supremum;  
 Ad intus vel ad extus, omne tale  
 Supra laudis acumen exit, aut est  
 Dignum carmine quod Maro celebret.  
 ZVBERIG; sales meritis acutis  
 Commendant. bene-digna cui relaxet  
 Zonam docta pubes hic-ipse Clarus  
 MARCELLVS Medicus novus Machaon.  
 Vos nunc crescite, par jugale juncti!  
 Casti multiplicamini! replete  
 Terram! vestra propago qua futura  
 Excrescat numerum P x l i per avum!  
 Hoc prælo Hippocrates, novos Galenos  
 Procudas, Stephanillulosq;, parvos  
 Marcellos, Catharinulasq; pulcras  
 Matrem qua referunt patremq; vultu.  
 Clamabunt Tata voce pippiente:  
 Vobis tristibus osculum dabuntq;:  
 Hærebunt Manibus suis tenellis  
 De collâ Mama suave-marmurantes.  
 Beatum nimium frui pipatû  
 Qui tali poterit! favore tantum  
 Nova personat auribus piorum.  
 Sed quid immoror his meis Phaleucis  
 Longioribus? heic pedem locabo,  
 Et MARCELLE tibi tuaq; casta  
 Costæ, pignus amoris his Phaleucis  
 Relinquam, socio toroq; vestro  
 Affigam, Xenij loco feramq;  
 Hic meo sacro-sanctiore voto.  
 MARCELLVS superet senem senectam  
 Pace, honore, favore, per-beatè!  
 Pateat pariat simul CATHERINA!

M. Adamus windorferus Græz: Styr:  
 Poeta Laureatus, A.H. & F.  
 Ergo S. Vitæbergæ.



A L I U D.

**M**OX, LONGE, TARDE, verborum triga, medentum  
 Iudicio, pellit dira venena luis.  
 Fallor? an hæc eadem Magica nil conscia fraudis  
 Elidunt ictus, vane Cupido, tuos?  
 Pestis AMOR studys, ut Amoris retia vites,  
 MOX, LONGE, TARDE, cede, recede, redi.  
 Deme fidem dictis, DOCTOR, tibi nomina demis,  
 Usus & est Medicâ nullus in arte tui.  
 Quò properas? clamat Mater: Tibi ducitur uxor,  
 Nate domum, vitæ dum mihi sensus inest.  
 Scilicet! ut celeri partu sata pignora dicant:  
 Pullulat hem Patri iam quoque barba! refers.  
 Nec mora: MOX, patriâ cedis LONGEꝑ recedis,  
 Ac TARDE, vel vix, ad tua rura redis.  
 Quàm benè consuluit captis Deus! una salutis  
 Hæc via, & ad laudes hic gradus unus erat.  
 Iamq; ubi, Nereidum superato turbine, portum  
 Puppis habet, plenâ gaudia falce metis.  
 Nève quid ad decus hoc, & tanti præmia facti  
 Desit, momentum non leve SPONSA parit.  
 PURA est, & puro veneratur amore Tonantem:  
 Te quoque quin puro pectore semper amat.  
 O purum pectus! gemmâ pretiosius! amplam  
 Puræ mercedem nunc pietatis habes.  
 Vivite concordi nexu, feliciter opto  
 Vivite, multiplici prole fovete domum.

M. Iohan. Plachetius Mezer.

B. 3

Aliud.



A L I U D.

**Q**uid, MARCELLE Senis medulla Cui,  
 NATURAE & gremio educate sacro,  
 Quid, inquam, malè suspicer veneni  
 Se mirè Paphij movere flammam?  
 An suspicio calculis pobanda?  
 Perplexis mage toxicum figuris  
 Commixtum, insinuans rubræ sagittæ  
 Ingestu penetralibus medullæ,  
 Puncto temporis abditi imputato  
 Collectum ad genium redire, flexu &  
 Iam laxo, modo concitatiore  
 Impotentibus exsilire signis.  
 Suffragare sagax & arte & usu?  
 Suspensis, puta, morsibus veneni  
 Huc obnoxius usq; jam furentis  
 Insucto jecur optimosq; Cordis  
 Sinûs, totus & ossium cavernas  
 Et quæ nobiliora præter ista  
 Adortu exagitare, ceu fluore  
 Nesei illita palla te cruoris  
 Involvat, supera, ima quæ pererret.  
 Hoc mirè Paphium movere virus,  
 Heu malo huic satis es minus, nec ante  
 Ut pennâ facili tibi mederis,  
 Qui præsens alijs tamen medela.  
 Perrepta nemus, uida quo trementi  
 Illudit coma desides hiatu:  
 Vasis vermiculata sive sanis  
 Tecta persequere aure lotâ & oculo:  
 Cita Phylliriden; catumq; alumnum

Medelâq;



Medelæq; Epidaurium parentem;  
Doctum vel Podalirium; potentem  
Vel Machaona; sive vis Hygeiam;  
Vel quantum est hominum uspiam medeptum,  
Nil his imperii, nihil cerébri,  
Omnes ictibus impares minutis.  
Una spes tibi pharmaci superstes  
Dulci in COMPARE floridâ MARITA,  
Quæ Lædæ pote sola sub Gemellis  
Nepenthes Cyprio exhibere poclo;  
Et vernum tibi temperare fotum,  
O contra Hesperio liquore fotum  
Gemmis, Sidonio & colore carum!  
Hæc supercilijs cave plicatis  
Verbercs. TUA NUPTA quin & ipsa  
AEstuans penitissimo cruore  
Idem flagitat. ô Cytheris hosce  
Ut justè calor ustulat MARITOS!  
O quæ jam folio DIONE fulta  
Sublimi veneranda jura dicis,  
Hoc fac auspicio tuo tuiq;  
INFANTIS benè congreges calores.  
Segreges modò myrtæâ sub aulâ.  
TU LUCINA age jam novi GEMELLI  
Annuas toties ut in Gemellis  
Futuris lepidos sibi GEMELLOS,  
Sic verso malo in exitum salubrem,  
Excludant; quoties manu supinâ  
Format turbine colligante fila  
PARCA, quæ tenero colus amictûi.  
Turgentes super induas amictûs,  
Lentam materiem tuis labellis,

B 4

Lentam



Lentam materiem ultimis tenébris,  
Vitæ materiem beatioris.  
Quæ, MARCELLE, tibi SALUS secundet.

*Laurentius Grammendorpius  
Rupinens.*

*A L I U D.*

**M**Ater præcipitis blanda Cupidinis,  
Quidnam dissidij dic mihi sit tibi  
Cum Musis, quòd eas ritè colentibus  
Tantas insidias struis?

Musas usque sequens robur & æs triplex  
Circa pectus habet: nec metuit tui  
Lascivi pueri tela minacia,  
Nec quicquam insidias tuas.

At nunc, qui Medicis summus in artibus  
Læsiisti Stephanum: qui nec opem sibi  
Novit ceu alijs ferre dolentibus;  
Et nemo nisi tu potes.

Non huc Hippocrates si veniat catus  
Pollet quicquam: opifex non Epidaurius  
Quicquam: non validi si veniat pius  
Inventor medicaminis.

At, MARCELLE, manus porrigis huc libens:  
Optato atque jugo te pateris premi;  
Vt, si fortè Deus sic tibi diceret;  
Bellis & placidissimis

MAR-



MARCELLVS positis vivat amoribus;  
Dictorum veniam mox cupias: pia  
Est tam dulce malum namq; puellula,  
Vrit grata protervitas:  
Vrit te Catharæ fulgidulæ nitor,  
Et pectus Pario marmore purius,  
Cervicem roseam, brachia cerea, ac  
Vultum candidulum probas.  
Sed flammis paribus te redamat tua  
Virgo: mens nec ei, nec niveus color  
Certa sede manet; sed rubor in genas  
Furtim labitur, arguens  
Quam corrupta fiet mollibus ignibus.  
Duret perpetuis ignibus hic amor;  
Ætas longa duos uniat, & comes  
Sancta ac aurea Pax: neque  
Livor lædat edax oscula, quæ Venus  
Quinta parte sui Nectaris imbuit:  
Det vobis sobolem multiplicem Deus,  
Et Pyrrhæ numero parem,  
Votis omnipotens his Deus annuat:  
Plures conjugio subijciat bono.  
Quod fiat, calidis pocula præbibo  
Vinis hæcce duo. SALVS.

Johannes TornaVV,  
Brandenb.

C

Aliud.



*A L I U D,*

**F**rontis honos aliàs sertum: nunc, more videtur  
Inverso, lecti facta Corona decus.

Dum Lecti Sociam præ millibus eligis unam,  
Quæ tibi, dante Deo, plurimaserta dabit,  
Serta, quibus poteris, Fora, Fana, replere, bonamq;  
Auri vim, licito more, parare tibi.

Hanc etenim Sociam calathis & pollice Pallas  
Instruxit generis vincere mille sui:

In labris habitant Charites, oculisq; venustas,  
Fastus abest, ornat simplicitatis honor.

Opto, Deo, multas contextas, dante Corollas,  
Quæ mensam decorent, quæ decorentq; thorum:

Et sic frontis honos SERTUM: Licitoq; videtur  
More virum, lecti facta CORONA decus.

Tobias Ieradius Crofn. Sil.

Scholæ Salderianæ Collega &

Nobil. Stipend. Præceptor.

**CORONA NVPTIALIS**

Conserta ex dicto D. Augustini:

**Deus coronat in nobis Dona sua.**

**Gott setzet in vns ein Krenzlein auff seine gaben.**

**A**Vgustæ SSEPHANE Austriæ politum  
Germen, Pæoniâ celebris arte

Chironis



Chironis suboles, tuæq; S P O N S A E  
Decus nobile, perpes & voluptas  
Auctor quæ I O V A, munerum benignus,  
*Nobis dona dedit coronat ipse*

*In nobis.* Animo recipocante  
Hærescis? Tua fata pende, lances  
Ad æquas meritò exigenda fata

Nuper *Leucoreus* tibi *Machaon*,  
DOCTORIS meritò caput CORONA  
Fronde perpetuò virente vinxit

Nuper *Brennonia* tibi CORONAM  
Præclaram ARCIS odoribus coronæ  
Quam dedit VViteberga promerenti  
Concessit I O V A ritè roborandam.

Nec sat TERTIA nunc, decus piorum  
Innectit *Stephano* caput CORONA  
Eois pretiosior metallis

Aut si terra venustius quid abdit.  
Hac Centaurea fulgurat CORONA.

Serti perpete, flos, honore dignus,  
Hic Euphrasia tristibus levamen  
Floret dulce oculis. Amoris augens  
Ignes Teucrion hic refulget. Ingens

Hic splendor decus, omniumq; florum  
Flos Veronica pulchriore surgit.  
Herbæ quàm reliquæ sub astra, flore  
Nuptis utile eryngion, honoris

Hic virescit odoribus superbum.

Tausensichön

Augentrost.

Wergts mein  
nicht.

Ehrenpreis.

Manstrew.

Klebekraut.

C 2

Hic



Ze lenger  
je lieber.

Hic aspergula vinculum iugalis  
Lecti, spondet amoris arctiorem  
Copulam, γλυκύπικρον hîc, amaris  
Quod prædulcia miscet ampliorem  
Vitæ spem facit elegantioris.  
Hac flores alij virent CORONA  
Hyblæ floribus elegantiores  
Et quos Ida tulit salubriores  
Et quos Afera tulit perenniores.

SPONSA est PVRA satu, vigore PVRA  
Cultus ingenui, timore PVRA  
Parentum, pietate PVRA Iovæ  
Quin DOCTORIS amore PVRA SPONSI.  
Fastu forma caret, vigorq; mentis.  
Astu, crimine lingua, palla luxu.

Benedict  
Wurzel.

Knaben  
Kraut.

Wolgemut.

Spring  
körner.

Digna laudis adoreâ CORONA!  
SPONSI digna favoribus CORONA!  
Quòd si nunc Benedicta, (quam precatu  
Ardenti voveo) suo vigore  
Vires floribus afferat: CORONAM  
Laudati ὄρεος ut coronet ampla  
Seges: tempora nonne tunc CORONA  
Dicemus redimita, SPONSE, QVARTA?  
Nunc ergo Origanum foveto mente:  
Plano, semina saltuosa læti  
Nunc tibi Lathyris legantur horto:  
Sua en dona Deus coronat in te  
Augustæ STEPHANE Austriæ politum

Ger.



Germen, Pæoniâ celebris arte  
Chironis suboles, tuæq; SPONSÆ  
Decus nobile, perpes & voluptas.

A Casparo Sævo, Leorino  
Silesio.

ALIUD.

Corpore nil profum: verum, MARCELLE, precando  
Votatoro, præsens mens mea multa facit.

Rideat auspicium: medium canat: ultima plaudant  
Conjugij, donec scandat uterq; Polum.

Paulus Claus Vienensis Austrius,  
Absens-præsens sacri voti loco  
R. Albi-montij.



C 3

APOL.





APOLLO ET IVNO  
CONGRATULANTES.

Sponse Marite, vale! *connubia vestra Triumphent,*  
*Letô successû,* Sponsa Marita, vale!  
Sponse Marite, vale! *tibi Laurus honore virescat.*  
*Sit tuus hic & odor,* Sponsa Marita, vale!  
Sponse Marite, vale! *sis sidus Nobile Nuptæ.*  
*Dic Dominum huncq̃ tuum,* Sponsa Marita, vale!  
Sponse Marite, vale! *cum Turture vivito Turtur.*  
*Soli sola place,* Sponsa Marita, vale!  
Sponse Marite, vale! *Thalami da juraq̃ Nuptæ.*  
*Tu juga fer patiens,* Sponsa Marita, vale!  
Sponse Marite, vale! *tecum sum preses APOLLO.*  
*IVNO guberno torum,* Sponsa Marita, vale!



FINIS.



APOLLONIVS  
CONGRATULANTES

2. Font. (faint text)  
3. (faint text)  
4. (faint text)  
5. (faint text)  
6. (faint text)  
7. (faint text)  
8. (faint text)  
9. (faint text)  
10. (faint text)  
11. (faint text)  
12. (faint text)  
13. (faint text)  
14. (faint text)  
15. (faint text)  
16. (faint text)  
17. (faint text)  
18. (faint text)  
19. (faint text)  
20. (faint text)

1121





AROLLO J. I. IVNO

CONGRATULATIONE

SCIENTIAE ET LITTERARUM

INSTITUTIONIS

ALMA MATER

UNIVERSITATIS HALLENSENSIS

IN DIEBUS

1771-1772

ALMA MATER

UNIVERSITATIS HALLENSENSIS

1771-1772





Jf 4600

ULB Halle 3  
003 299 04X




SB.

V077











LXXXV.

84



EPITHALAMIA  
In Honorem Nuptiarum

VIRI CLARIS-  
SIMI, VIRTUTE ET DO-  
CTRINA EXCELLENTISSIMI Dn.  
STEPHANI MARCELLI AUSTRIACI,  
Medicinæ Doctoris, & Physici  
Brandeburgensium ordinarij,  
SPONSI

&  
*Lectissimæ ac pudicissimæ virginis*  
CATHARINÆ, REVEREN-  
DI ET DOCTISS. VIRI Dn. M. GEOR-  
GII FRANCKENBERGERI quondam Tor-  
gensis ad Spir.S. Pastoris pie ibidem defun-  
cti, relictæ filix,  
SPONSÆ

*Congratulationis & amicitix ergo scripta*  
*ad diem 18. Maji.*

VVITTEBERGAE  
Typis M. Iohannis Cratonis, An. 1601.



98